

כשה'קכה

XI

DISSERTATIONE TERTIA.

AFFECTVS.

placidæ Eruditorum disquisitioni
subjicient,

PRÆSES.

M. SAMVEL. LVCIVS.

SORA. LVSAT.

&

RESPONDENS.

DAVID. SCHELLENBERG.

STOLBERG. MISN.

Ad d. XXX. April. A. MDCCCI.

87-

H. L. Q. C.

VITEMBERGÆ,

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.



DISSERTATIONE ERTH.

AFFECTVS

placida Eridionum distillatione
Rubicent

PRÆSES.

M. SAMUEL. LVCIVS.

SOR. A. LVSAT.

RESPONDENS.

DAVID. SCHELLERBERG.

STOLBERG. MISA.

Ab 1771 April. M. D. C. C. L. I.

H. L. C.

LIT. ERBGRAB.

PRO. CHRISTIANI KRÄUSIG. Acad. Typogr.





Q. D. B. V.

§. I.



Insipiens sapientia & felicitas est, omnia scire, sui ipsius vero cognitione destitui. Cum enim omnibus rebus impetus sit congenitus, maxime vero ratione gaudentibus, quo ad acquirendam sibi perfectionem, natura feruntur; is sane, qui ad eam omnibus non tendit modis, infra suam sortem jam indignis modis, semet abjecisse habendus est. At quid magis perficit hominem, quam suimet scientia? in qua si strenue progrediatur, plus semper rationis sibi vindicare videtur, donec eousque perveniat, ut sentiat, divinum quidpiam in se, non tantum contemplationi rerum, verum etiam actioni virtuosae, qua Deo magis magisque assimiletur, esse consecrandum. Certe tanta hujus sapientiae est praestantia, ut reliquam omnem, sine ista, meram insipientiam putem. Hinc quoties haec recogitamus, in ea firmiter acquiescendum est conclusione. Supremum sapientiae humanae apicem, absolvi cognitione nostri, & quam haec junctam habet, cognitione Dei. Tanto ergo majori studio in notitiam nostri nobis inquirendum est, quanto magis ex hac opera, in nosmet ipsos, non tantum utilitatis, verum etiam jucunditatis redundare potest. Quid enim juvat rerum extra nos positarum causas cognoscere, in abstrusa naturae inquirere, & cum Thalete Milesio, eumque sequentibus, jam non ea, quae ante oculos posita sunt, cernere, verum etiam futuras eclipses & stellarum conspectus, tam evidenter certissimeque scire, ut falli sit impossibile, ni Deus universum à se institutum ordinem, horrendo quodam modo immutet? Vanæ hæc omnia sunt mentis conamina, quando ea, quae longissime à se remota sunt, anxie quaerit, suamque accuratiori notitia neglecta, non curat ea, quae non ante pedes, verum in intimis

timis cordis penetralibus sunt recondita. Quasi vero ideo homo di-
vinæ imaginis aleret rudera, ut omnia cognoscat, semetipsum saltem
ignoret, vel ut lynceis oculis contempletur abdita naturæ, iisdemque
defatigetur, saltem se videat, quantum adhuc divinitatis in sinu suo fo-
veat. Non dum hæc dicimus, dementia quadam moti, tam præclaras
artes, tantorumque laborum partus, vesano contemptu adspernamur; ;
sed illorum tantum non approbamus conatum, qui foris sapere student,
& neglecta primæ sapientiæ regula γνῶσι σεαυτὸν, se ignorantes, sibi
nequeunt auxiliari. Recedentes proinde ab illorum societate, nunc
denuo in passiones nostras inquirere, non erit tædiosum, certa spe freti,
ad vera felicitatis humanæ fundamenta, multum facere illarum noti-
tiam, nosque sine naufragio præternavigaturos hujus ope scopulos, qui
ignoti, interitum nobis parassent certo certius.

§. 2. Tanta enim vi, tantaque vehementia, acerrime isti conjuncti
nobis rationes hostes, nos oppugnant, ut moderatissimo quoque & pru-
dentissimo quandoque, non parum facebant negotii, stratagematum-
que suorum, haud raro, felicem experiantur exitum. Latent quan-
doque absconditi, non aliter quam scopuli in mari, nihil mali præ se
ferentes, tantum ut navigantes decipiant, unoque impetu in profuri-
dum abjiciant. Periculi plena res est; cum primis cum specio-
sum sibi titulum, calcarium virtutis, ventorumque, sine quibus naviga-
re est impossibile, vendicent, quibus destitutus torpescat animus, & in
corpore quasi enervatæ vitæ, consenescat; non aliter ac mare, quando
summa occupatur malacia, nullo navigantium usu. Hinc enim an-
sam sumunt, non tantum rationi, tanquam gubernatori, imperium de-
tractare, verum etiam cum ea decertare, ut licet diu ambigua pugnetur
victoria, tamen haud raro inferior pars, vincat superiorem; quando
nempe venti leniores abeunt in procellas, ut in æstuaria, syrtesque
ac brevia navim deferant; calcaria, in faces, & ne tantum exceden-
do verum etiam deficiendo noceant, frena in compedes.

§. 3. Non necessarium erit hujus rei veritatem multis demonstrare:
Cum hominibus namque nobis res est, qui licet omnia ignorent, nec
ullam veritatem, unquam, cum Acatalepticis se percepisse putent, nec
tamen hanc inficias ire poterunt, nisi jam homines desinere esse velint.
Quilibet apud se reperit, quanto nunc ardeat amore, nunc flagret odio,
palleat metu, exardescat ira, ut horum vehementia conqvasatus, in-

vitia

vitia plane sit pronus atqve proclivis. Ut alios nunc taceam, qui fasces rationis affectibus tradunt, quorum imperio ita gubernantur, ut humanae sortis obliti, jam vix aliam quam belluinam praeseferant faciem. Quantum amor possit illicitus, quantum concupiscentia immoderata, & illegitima, quantum ira in rabiem versa, alii dicant. Nos in praesenti, excessus affectuum effectum noxium, sufficienter ex jucundissimo gaudio deducemus, quod quia ratione binas foeminas Romanas perturbaverit, quarum alteram, cum sospes filius ex praelio repente, oblatus esset, in conspectu ejus exspirasse; alteram vero, cui mors filii falso nunciata erat, moestam sedentem domi, ad primum conspectum filii redeuntis, gaudio nimio fuisse exanimatam, testis est LIVIVS. Dec. III: L. 2. Optime hanc in rem scribit ILLUSTRIS AVTOR *Medicin. Mentis p. 11. Ubi perceptionibus sensualibus indulgemus, & corpori omnia illa, quae illud afficiunt bene largimur, saepe fit, ut quod nos quam maxime delectat, nobis interim maxime noxium sit, non aliter ac bestiis, deliciis ciborum captis, & deceptis accidit.*

§. 4. In eo ergo consistit excessus & defectus affectuum, ut naturam istorum immutent, & ex bonis malos efficiant, quod tunc fit, quando rationi subiecti non manent, sed motibus rationis ita oblectantur, ut vim mentis deprimant, & sic in vitia degenerent. Ut adeo vix subscribendum putemus, ANTONIO LeGRAND, qui praeter hunc excessum, alterum fingit, qui *rei mensuram tantummodo auget, & ex bona meliorem efficit*, quia ratione audaciam non fortitudinis excessum dicit, nisi quando rationis limites transcendit, ut ut fortitudinem alium adhuc excessum recipere possit arbitretur, quem tantum abest, ut vituperio, dignum aestimet, ut potius omnium oratorum linguas ad decantandas laudes, vix sufficere putet, quum sit illa heroum virtus, quos in Deorum numerum antiquitas recensuit. *p. 783. Instit. Phil.* Talis namque excessus, cum maxime ad mediocritatem virtutis pertineat, excessus nomine plane est indignus, ni virtutem ipsam, jam non amplius in mediocritate, sed excessu positam esse, dicere vellemus perabsurde, Rectius ergo ad mediocritatem illum excessum ANTON LeGRAND, qui mensuram rei tantummodo auget, reducimus, cum certum sit, medium virtutis non esse rei, sed rationis, & in hac parte, cum plurimis, consentientem habeamus HEEREBOORDIUM. *Coll. Eth. p. 70.*

§. 5. Tantum vero abest, ut vitiosum hunc affectuum excessum vel

defectum Deo originem debere credamus, ut potius blasphemæ asseri
putemus, Dei esse, placere, statuere, velle, decernere & efficere, tangere
peccata. Sunt namque peccata quid plane derelictum a DEO, qui
commercium in agendo non habet nisi cum realitate & perfectione.
Sunt defectus, adeoque illum pro causa habere nequeunt, qui perfe-
ctissimus est, & non nisi perfectissimo operatur modo. Cum enim
Dei efficere, sit vim placiti externo opere testari, illud Deus non ope-
rabitur, quod nunquam operari voluit nec velle potuit, propter essen-
tialem voluntati conjunctam sanctitatem.

§.6. Unde luculenter deducimus, omnes volitiones nostras, ut quæ
malæ etiam esse possunt, Deum nec produxisse, nec decrevisse nec de-
terminasse: Eo ipso namque quo contrarium assereremus, diceretur,
Deum in productione & determinatione peccatorum, malorum affe-
ctuum, vitiosorumque, rem realissimam sanctissimamque produxisse;
ni dicentes, rem esse malam, & tamen a Deo decretam, improbe, quod
abstulit! esse velimus blasphemæ.

§.7. Horrendum ergo & monstruosissimum est dogma nefarii atheistæ
BEN. de SPINOZA, qui, ut jam neget mala & peccata quorum nos de-
beat poenitere, quæque ab ultrice justitia Dei sint punienda certo certi-
us, more suo consuevit, callidam aliquam, absurdam tamen, ponit hy-
pothesin, omnia determinate & qualia sunt a Deo fieri. *Parte I. Ethicæ
Propositionem xxvi. hanc lego: Res quæ ad aliquid operandum determi-
nata est, a DEO necessario sic fuit determinata, & quæ a Deo non est de-
terminata, non potest seipsum ad operandum determinare.* Et proposi-
tionem xxix. *In rerum natura nullum datur contingens, sed omnia ex ne-
cessitate divina nature, determinata sunt, ad certo modo existendum.* Ubi
quidem observamus, nefarium nebulonem sæpius quidem mentionem
Dei facere, nunquam vero eundem in Ethicæ sua Deum verum & infi-
nitum admisisse. Quæ enim de infinitate, æternitate &c. loquitur, va-
na sunt omnia & mere chimærica. Uno verbo, per Deum intelligit
ens absolute infinitum, non quæ infinitatem absolutissimam in plenis-
sima & absolutissima realitate; sed collectionem aliquam universalem
omnium rerum individuorumque, nullo excepto, tam rerum cogitan-
tium quam extensarum, quæ & graduum diversitate infinitæ sunt. Et
hanc collectionem abstracte consideratam tanquam aliquod universale,
vocat Deum, ita interpretante eum accurate POIRET *Cogit. Rational.*

p. 748. Hunc ergo monstruosum & idéalem Deum, putat causam determinantem omnium actionum & affectuum, circa quos homines non magis sunt liberi, quam circa alias actiones, uti expresse de affectibus scribit Epistol. 60. p. 585. *Experientia satis superque docet, homines nihil minus posse, quam appetitus suos moderari, & quod saepe, dum contrariis affectibus constriuantur, meliora videant & deteriora sequantur.* Mox tamen hanc suam deserens sententiam, determinationem jam non Deo, sed nexui cuidam causarum in infinitum adscribit. Propos. xxviii. dic. *Quodcumque singulare, seu quævis res, quæ finita est, & determinatam habet existentiam, non potest existere, neque ad operandum determinari, nisi ad existendum & operandum determinetur ab alia causa, quæ etiam finita est, & determinatam habet existentiam. Et rursus hæc causa, non etiam potest existere neque ad operandum determinari, nisi ab alia, quæ etiam finita est & determinatam habet existentiam, determinetur ad existendum & operandum, & sic in infinitum.* Quæ fere eadem sunt cum propositione. XLVII. part. II. Et hic. *In mente nulla est absoluta & libera voluntas, sed mens ad hoc vel illud determinatur a causa, quæ etiam determinata est ab alia, & hæc iterum ab alia, & sic in infinitum.* Intererit ea hic apponere, quæ SPINOZA tradit TRACT. TH. POL. p. 273. *Totius nature, cuius homo particula est, agentia, æternum ordinem respiciunt, & ex sola necessitate, omnia individua certo modo determinantur, ad existendum & operandum.* Aperte hæc posteriora videntur pugnare cum prioribus, nec primo intuitu apparet, quomodo inter se conciliari possint. A Deo (substantiæ notione univetsali & abstracta) primo dicit rem necessario determinatam; mox tamen subjicit a nexu. Facile vero si attentius rem intueantur, videmus, quid atheus intendat. Negat, (quod ex demonstratione propositionis xxviii. patet) id quod finitam & determinatam habet existentiam, ab absoluta natura, alicujus Dei attributi potuisse produci. Ergo ut tollat omnem libertatem ponit res singulares, quæ DEI sui chimerici ipsi dicuntur modi, ita concatenatas, ut fatalem omnibus rebus inferant necessitatem. Divinam tamen deiriaturam hæc determinare dicit, quia Dei sui, finitæ res, sunt particule & modi. Quo asserto fato, absurditate, superat plus mille passibus explosum fatum Stoicorum, a quo non plane dissentit, quod ex A. GELLIO patet, qui dicit: *Fatum nihil aliud esse quam sempiternam quandam, & indeclinabilem seriem rerum & catenam, volventem semetipsam*

*Et implicantem, per aternos consequentia ordines ex quibus apta connexa-
que est. Lib. VI. Noct. Attic. Cap. 2.*

§. 8. Nostri nunc non est explosos Stoicorum errores hic cum con-
futatione apponere, nec etiam myriada errorum, in nefandis Spinozæ
assertis demonstrare, cum id abunde fecerit POIRET *in Cogit. Ratio-
nal. Cap. XIX. L. 3.* nec quantæ contineantur in assertis Spinozæ innu-
meræ contradictiones, quod præter dictum Philosophum præstitit
WITTICHIVS *Exam. Ethic. Spinoz. p. m. 77. sequ.* Sed id tantum age-
mus, ut probemus, excessum & defectum affectuum, non a Deo esse,
nec nexui ejusmodi causarum esse adscribendum. Ac quod posterius
attinet, facilis res est, cum ejusmodi nexus, non tantum non possit
concipi, nisi vel per circulum, vel per processum causarum in infinitum,
quem tamen ipse atheista refutat in *Epist. 29.* argumento cujus-
dam Rabbi GHASDAI, quod approbat. *Si datur processus causarum
in infinitum, erunt omnia quæ sunt causata: Atqui nulli quod causatum
est competit in natura sua existere. Ergo nihil est in natura, ad cuius essen-
tiam pertinet necessario existere, sed hoc absurdum est, Ergo & illud;*
Verum etiam jam omnem tollat libertatem, & peccata: quæ quidem
absurda absurdorum nobis liberaliter largitur Spinoza, Libertinos secu-
tus, quorum paria dogmata refert MEISNERVS. *Antropol. Disput. 3.
Q. 4. p. m. 89,* quo tamen jure infra videbimus. De Deo nullatenus
vitiosorum affectuum causa, plura non addam, cum sufficere possint
ea, quæ §. 5. dicta fuerunt: Potius in veram rationem malorum affe-
ctuum ex notitia nostri inquiramus, quod satis commode fiet, si quili-
bet nostrum, ad se ipsum, bene attentos convertat oculos.

§. 9. Sive ergo DEI naturam spectemus, sive eam cum operibus,
nullam vitii & turpis affectus causam deprehendimus. At animad-
vertimus, & scimus, esse in nobis, æque ac omnibus hominibus, vitio-
sos quandoque affectus, illicitum amorem, turpe odium, impiam rabi-
em. &c. Cumque vitia a se esse nequeant, ut entia valde imperfecta,
imo non-entia, ab alio originem suam habeant necesse est, a quo tan-
quam causa producantur. Hanc vero quomodo verum invenimus?
Forsan clarissime id conficitur, si animadvertamus, vitiosum ejusmodi
affectum, non esse verum & positivum quid, sed privativum, errone-
umque, cujus proinde in causam efficientem frustra inquirimus, cum
non-entis ejusmodi, non alia nisi causa possit dari deficiens.

§. 10.

§. 10. Istius vero defectus & erroris principium in nobis, ubi nunc ponimus? Num in anima num in corpore? In corpore vitium esse non potest, quatenus nostrum est, & sub essentiali ratione consideratum, hoc enim Deo cum debeat originem, quatenus originem debet, ejusmodi affectibus malis præditum esse non potest, ni deuo dicere velimus, Deum mali esse autorem, quod est contra hypothesin §. 5. Vnde ratio jam sufficiens occurrit recedendi ab antiquis Philosophis, GALENO imprimis & HIPPOCRATE, quorum ille librum integrum composuit, in quo sufficienter demonstrare voluit, *sequi omnino mores, consequenter etiam affectuum excessus & defectus, temperamentum corporis*; Quod ut felicius conficeretur opus, fundamenta sententiæ suæ hæc posuit: Temperamentum ipsamet esse animam hominis, nullus dubitans, quin stante hac thesi, cætera omnia facile possint demonstrari. Ast a janua aberravit Galenus, cui satius fuisset, permanere in sua opinione, quando dixit, substantiam animæ, non tantum sibi ignotam esse, sed eam definire, non putavit sapientis, quam absurdam ejusmodi constituisse definitionem. Sane, si temperamentum anima est, accidens erit, pro ætate, loco, victusque ratione, mutari poterit cum ipso temperamento; imo metalla erunt animata cum fiant ex elementis, & juxta GALENUM ex contemperatione quatuor elementorum, quam animam dixit. *Commentar. 5. part. Lib. 6. quæ tamen sunt inconuenientia.*

§. 11. Quo prostrato fundamento, nunc reliqua omnia superinstructa corruunt, tuteque jam asseremus, falsum esse, affectuum excessus & defectus sequi temperamentum, ceu causam adæquatam. Quo ipso non quidem in solidum denegamus omnem influxum temperamento in affectus; potius ultro lubenterque concedimus multum ad hujus vel illius affectus excessum, facere temperamentum corporis; biliosus enim vix iræ, sanguineus amori, melancholicus tristitiæ temperabit. Recedimus tamen ab opinione Galeni, quæ, quamvis veri aliqui includat, tamen absolute sumpta absurda est. Quare potius subscribimus sententiæ *Patroni nostri & Præceptoris, æternis obsequiis venerandi, Excell. ROEHRENSEE p. 83. Prud. Moral. Si temperamentum nostrarum actionum (affectuum) causa proxima & adæquata esset, non voluntaria ille, ac in nostra potestate essent, sed naturales: adeoque frustraneæ essent leges, institutiones, aduersiones, & iniquæ pœnæ.* Quibus ut ut satisfacere velit rationibus GALENVS *Cap. 2. loc. cit.* tamen nihil agit, nisi quod in superiores prolatur errores, quod videre est apud PICCOLOM. *Grad. 1. C. 29.*

§. 12. Ita ergo docendum est de temperamenti influxu in affectus, ut supposita distinctione inter *propensionem ad affectum, & affectum ipsum* asseratur: Seqvi omnino temperamentum hominis propensiones ad affectum, & ejusdem mutatione, variare ipsas. Vnde damus Galeno, Medico celeberrimo, potuisse se profiteri morum institutorem, qvadamtenus, in quantum nempe medicamenti temperamentum adjuvit, ut homines non amplius ad hæc vel illa vitia, ex eo fuerint propensi. (qvod tamen causam rectitudinis affectuum neutiqvam adæqvatom, sed qvalem cunqve minus principalem indicare videtur,) affectus vero ipsos temperamentum semper seqvi constanter negamus. Qvamvis enim communiter afficiantur homines pro ratione temperamenti, non tamen illud fit, ob rationem temperamenti necessitantis, sed qvia homines ut plurimum ita vivunt ut per naturam sunt proclives; id qvod tamen secus in sapiente se habet, qvi cum propensionibus malis confliat superat, rectaqve ratione corrigit, in qvo consentit nobiscum PICCOLOM *Grad. 1. Cap. 30.* Non ergo mali & vitiosi affectus fluunt a temperamento & humoribus qvamvis autem dissonant mentem vel ad amorem, vel metum, vel alios affectus, non tamen isti affectus qvatenus tales, & in se & sua natura sunt vitiosi, nec si essent mali & vitiosi, malum iccuro esset in humoribus & temperamento. Concludimus ergo, excessum defectumqve affectuum, non esse a corpore, qvatenus est a Deo creatum.

§. 13. Restat ut in animam inqviramus, variis actibus præditam facultatibusqve. Ostendunt se hic libertas, intellectio, volitio & plura alia, qvorum bene in nobis sumus conscii, qvibus etiam imperium aliqvod convenire, ni affectus, ad excessus vel defectus pronos, probabimus infra. Num vero recte hisce vitiosam affectuum rationem adscribimus? Non caret periculo res, qvare adhuc abstinemus a categorica responsione. Videmus qvidem jam propius nos accessisse ad radicem mali; ast videmus etiam, eandem adhuc tanqvam sub multa latitantem terra, nondum clare oculis nostris esse expositam. Intelligere est opus Dei; nec peccamus, licet etiam mala cognoscamus & intelligamus, nec eo ipso excedit affectus, quando homo scit, eum excedere, vel excessisse, vel excessurum. Pervelle vero habituale, si simpliciter excederent affectus, etiam tunc excederent, quando ea volumus, qvæ rectæ rationi conveniunt, & ad virtutem sunt examussitata: Libertas tandem tam nobilis res est, ut per se ei tam malum effectum,

ctum, licet ut actum eandem considerare velimus, adscribere nequeamus, utpote quæ vel sola demonstrat, esse quid in homine, quod jam ipsam redolet divinitatem.

§. 14. Ista vero libertas, cum non tantum agere & non agere, verum etiam contraria agere, liberrimaque voluntas, non tantum amare & non amare, verum etiam odisse, sibiq; relicta & indeterminata, etiã in id, quod imperfectio, & non-ens quoddam tendere possit; tunc quotiescunqve ea appetit, quæ fugere, vel in ea fertur, quæ aversari, vel non eo modo fertur quo debebat, oritur excessus & defectus affectuum ipsaque jam aliqua vitiosa passio: Quæ omnia clariora evadent, si ea repetamus, quæ supra *Dissur. I.* de causis affectuum dicta sunt §. 12. Cum namque objecta externa se sensibus insinuant, & pro re nata affectum vel jucundum moveant vel molestum, quædam vero corpori & brutæ facultati, ut jucunda ac peramœna se offerant, utut angvis in herba lateat; fit ut pars, nata subijci, seu appetitus sensitivus, in illa ut bona (licet saltem apparenter talia sint) feratur, licet quandoque aliud svadeat ratio, vel si audiretur aliud svaderet. Hinc existit illa gravis pugna & difficilis lucta, rationem inter rectam præscribentem, & affectus, qui non semper sequuntur dictamen rectæ rationis: hinc pugnandum nobis ex libertate in affectus, appetitum proprium, totosque nos ipsos. Sapius tunc videmus meliora & probamus, sequimur tamen deteriora, non ex alia ratione, nisi quod honesta a recta ratione præscripta, cum labore, difficultateque sint conjuncta, cum ea quæ mala sunt, speciem aliquam jucunditatis, facilitatis, ac voluptatis præ se ferant.

§. 15. Ut vero voluntas, in hosce affectus, suum imperium omnino sufficienter exerceat, ita ut vel affectum aliquam excitare magis, vel etiam reprimere valeamus; tamen despoticum hoc non est imperium & irrefragabile. Namque affectus ipsi cum jam dictamen intellectus antevertant, & in sua objecta ferantur, antequam intellectus ea dijudicare potuit, antevertunt etiam imperium voluntatis, ut jam in regali folio constitutum non videamus, rationalem imperatorem, sed irrationalem: hinc fit, quod sæpius feramur in ea, quæ corpori saltem grata, menti vero & parti rationali ut venenata existunt. Ipsa namque voluntas, quasi princeps, consiliarios suos, intellectum & sensuales perceptiones consulit, quæ quando in rem, bruto more feruntur continere eos non potest voluntas, sine ipsarum repugnantia dolore, & labore summo, ingratissimo omnino & repugnantissimo affectibus;

B 2

qvem

quem laborem saepe repellunt unde jam libertas, sive voluntas ad interitum (quem affectus dissimulabat) se determinat, a quo si recedere vult, pugnam ineat cum ejusmodi affectibus & sensationibus necesse est. Ad quam si voluntas fortasse se determinat, tamen frequenter succumbit, cum ipsa libera voluntas, undiquaque hostibus affectibus circumdata, iisdemque defatigata, se suumque jus negligit, libereque jam ad id, quod bonum saltem est apparenter, revera vero, res execranda, se determinat. Non possumus non verba PRAECEPTORIS nostri plane egregia hic apponere, ex *Prud. Moral. p. 93. Fatendum est imperium voluntatis, in appetitum sensitivum, non usquequaque esse efficax, cum hic, reclamante etiam rationis judicio, & voluntate in oppositum inclinante, nonnunquam vehementi impetu, in bonum aliquod sensibile, sive vere sive apparenter tale sit, feratur; qua in re Paulum testem laudare possumus, qui Rom. I, 15. Non quod volo, inquit, sed quod odi, hoc ago. Et hoc contingit ut plurimum ubi affectus sive cupiditas nimis vehemens est. Tum enim appetitus antevertit imperium voluntatis, & in objectum fertur, antequam vel intellectus id dijudicare, vel voluntas imperare potuerit. Mirum itaque non est, si intellectu ita in officio impedito, nec voluntas munere suo fungi possit.* Vnde vero voluntati sit hæc imbecillitas, quod se sinat de throno dejicere, appetitui vero proclivitas, contra bona, imprimis ea, quæ legibus divinis mandata sunt, facile demonstrarent. Theologi ex capite de peccato, vid. hic imprimis GERHARD. *LL. Theol. Tom. 2. p. m. 525. seqv.* Quamquam etiam rationi non adeo, plane ignotam putem doctrinam, de tenebrato intellectu, & depravato appetitu. vid. POIRET. *Cogit. Rational. L. III. Cap. 19. & L. IV. Cap. 5. in notis.*

§. 16. Clare hinc patescit excessus vitiosos & defectus affectuum, nunquam ad Deum, sed ad solam hominis culpam inexcusabilem esse referendos, adeoque affectus in se, & sua natura, nihil involvere moralis pravitatis; sed potius a Deo hominibus esse concessos, ut ad bene agendum multum afferant adjumenti, iisque homo, tanquam calcariis, incitetur ad virtutes & facta præclara. Quod si ergo aliquis apud se, eosdem intemperantes Dominos, summa crudelitate efferatos experiat, non in alium quam semetipsum culpam rejiciat, ut qui socordem, oscitabundum, & ignavum se exhibuit, tunc, cum acerrimo erat decertandum pralio.

§. 17. Absurda ergo, & vana sunt, ausa & dogmata illorum, qui affe-

affectus omnes, tanquam vitiosos, deceptores, ad vitia incitantes, rationem antevertentes, & hominem in faciem bruti immutantes, eradicanam dixerunt, & factis etiam suis, id in actum deducere tentati sunt. Inter quos merito primò loco nomino, Fanaticos Anabaptistas, qui iudicio CHEMNITII, Stoicam quendam jactitabant ἀπάθειαν; & tum Monachos quosdam qui idem fecerunt, quando nudipedalia, humicubationes, indolentiam, animique rigorem ad omnia infractum, meditati sunt, meditanturque. Cum enim πάθος vox aliqua media sit, & non minus in bonam quam malam partem flecti queat, utique absurdi illi sunt, qui universalem aliquam intendunt ἀπάθειαν, eoque absurdiores, quo magis impossibilis res est. Tam impossibile enim est, ut vitam sine hisce affectibus agamus, quam impossibile nos homines non esse homines, cum ipsi a Deo animis nostris sint inditi, ut iisdem, uti aves pennis, ad destinatos rapiamur cursus. Imo nulla est vita sine affectibus, sine motu, sine appetitione: ita ut is qui sic naturam furca conatur expellere, certe nihil agat, nisi quod lavet laterem.

§. 18. Paria cum his num docuerit Porticus, multæ est disquisitionis; quæquam juxta nonnullos Stoici statim prima fronte, & sub audita saltem notione ἀπάθειας sint damnandi rejiciendique in solidum. Apud HENRICVM MORVM *Enchir. Ethic. p. 29.* hæc inveniuntur: *De omnibus passionibus contra Stoicos statuendum est, quod sunt sua natura bonæ, quodque divina providentiæ scopus non minus deprehenditur in ipsarum usu, quam in structura organorum corporis cujusvis animalis.* ANTONIVS le GRAND. postquam fallus est, se olim in APATHE (l'homme sans passions) Senecæ opinioni favisse, non vult ut arguatur inconstantia; si utilitatem passionum describat, in Stoicos paulo durior *p. 28. Instit.* Neminem, dicit, fugit quantum in animi affectus inveniunt Stoici, qui sui sapientis tranquillitati, nimium prospicientes, arbitrati sunt eos natura malos esse, ac proinde ab eo esse, removendos, quem omnibus vitiis, immunem esse volunt, & nullis perturbationibus obnoxium; ut nunc alios autores innumeros taceam. Nos ut præjudicia evitemus, dabimus operam ut in mentem Stoicorum ex illorum hypothesebus & scriptis inquiramus. Primum ergo supponimus, circa conficiendam hanc controversiam: Stoicos non quamvis commotionem appetitus pro affectu habuisse, sed vehementer demum exorbitantem, vel deficientem. CICERO namque *Lib. 1. Tuscul.* affectum definit, per *aversam a ratione contra naturam animi commotionem*; ut jam

non repetam notam definitionem $\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\ \acute{\epsilon}\sigma\tau\iota\ \acute{\alpha}\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma\ \omega\pi\epsilon\acute{\rho}\iota\ \Phi\upsilon\sigma\iota\omega\ \kappa\lambda\iota\eta\sigma\iota\varsigma$, Disput. I. ex LAERTIO adductam, quam tamen etiam suam facere videtur SENECA *de Ira* L. 1. c. 9. quando dicit: *Ira si exaudit rationem, & sequitur quo ducitur, non est ira, cuius proprium est contumacia.* Ea ergo omnia, quæ durius quandoque, contra affectus locuti sunt, non de aliis, quam vitiosis, excedentibus vel deficientibus, debent intelligi; Sermo namque continuo ipsis est de perturbationibus, *ast perturbationibus, constantias* opponunt, per *constantiam* nihil præter $\epsilon\upsilon\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota\alpha\upsilon$ intelligentes. Vti ergo constantia decet hominem prudentem, & virtuosum, ita perturbationem humanam tranquillitatem turbantem evertentemque, improbo imprudentique tantum proprie convenire rebantur. Perturbationes vero ita esse explicandas, clare patet, ex recepta inter Stoicos doctrina, quando asserunt, quod nulli nobis insint a natura affectus seu perturbationes, sed omnes ortum debeant perversioni ac depravationi, quando nempe homines non audito dictamine rectæ rationis, statim in ea feruntur, quæ suavem aliquam titillationem, ipsis excitare possunt. Namque Soicis ipsis, utpote qui non levi scientia, Moralis potissimum Philosophiæ imbuti erant, hic distingvere placuit, inter affectum in *gradu primo*, & *secundo* constitutum. *Primum gradum* quantum ex A. GELLIO. L. XIX. *Noct. Attic.* constat, dicebant esse, quotiescunque nobis aliquid, v. g. formidabile occurrit, quod terrificæ quædam visa, quæ $\Phi\alpha\upsilon\tau\alpha\sigma\epsilon\iota\alpha\varsigma$ appellabant, excitat, quibus etiam sapientis animum moveri credebant; *Alterum vero gradum*, quando aut per rationem, ea visa, quæ tamen ex motione inopinata & inconsulta oriebantur, statim approbat, vereque talia esse putat, qualia primo intuitu videbantur, cum tamen $\Phi\alpha\upsilon\tau\alpha\sigma\epsilon\iota\alpha$, rem tantum ut terribilem & horrendam, propter perversiorem rationis proposuerit. Priorem illum gradum nondum appellabant, *perturbationem*, sed demum posteriorem, uti eum deinde, quo vanam ejusmodi representationem repudiabat, *constantiam*. Patent hæc ad oculum, ex *Lib. I. Offic. CICERONIS*, quando dicit: *Efficiendum est, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, neque propter pigritiam aut ignaviam deserant, sintque tranquillæ, atque omni perturbatione animi careant. Ex quo omnis elucebit constantia & moderatio.* Vbi luculentissime inter perturbationem, tanquam vitiosum affectum, & moderationem, tanquam legi conformem, distingvit.

§. 19. Soli ergo nos doceant Stoici, quomodo ipsorum $\alpha\pi\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota\alpha\upsilon$ intelli-

intelligere, vel quale de ea ferre debeamus iudicium, cum videantur, non facultatem irascendi, amandi, odio habendi, vel ipsos etiam, in suis se continentibus cancellis affectus, iram, amorem, odium, rejecisse; sed saltem perturbationes, ex opinione alicujus boni vel mali, quod tamen bonum vel malum revera non fuit, ortas, tanta vehementia, ut jam non ordinem mediumque servant, sed vel in faces vel compedes degenerent. Audiamus SENECAM, Epist. 71. *Non educo sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente, submoveo. Memini ex duabus partibus illum esse compositum, altera est irrationalis, hæc mordetur, urit & dolet, altera rationalis, hæc inconcussas habet opiniones, intrepida est & indomita.* CICERO, qui se hic Stoicis adnumerat, ita tamen de ἀπαθεία scribit, ut nihil minus quam omnimodam carentiam affectuum nostrorum statuisse videatur. Ita namque L. IV. Tusc. Quæst. loquitur: *Ergo is quisquis est, qui moderatione & constantia, quietus est animo, sibi que ipse placatus, ut neque tabescat molestiis, neque frangatur timore, nec sitienter aliquid appetens ardeat desiderio, nec atacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens quem quarimus, is est beatus cui nihil humanarum rerum, aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis letabile ad effrendum, videri potest. Quem enim ambitione, aut libidine inflammatum, & furientem videmus, omnia rabide appetentem, cum inexplibili cupiditate, quoque affluentius opes, aut voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitientem. Ne ille homo est, quem nemo sapiens dubitaverit existimare omnium mortalium infelicissimum.* Constat quoque ipsum GALENUM, quem tamen strenuum Stoici dogmatis fuisse propugnato rem scimus, facultates neutiquam rejecisse & damnasse. Namque Libr. de cognoscendis & curandis animi morbis, ita scribit de facultatibus; *Latius autem de iisdem rebus disseritur, in iis commentariis, in quibus mores tractantur, quo pacto scilicet, eam vim, quis sibi optimam & perfectissimam reddat, item quemadmodum vires & robur illius, non prosternere, (sicut ne equorum quidem aut canum quibus utimur) sed potius illud ipsum robur exercere, sicut & in illis, ad obedientiam.*

§. 20. Tantum ista asserta, jam multo ante nos tempore potuerit ut non infimæ noti Philosophi existimarint, litem inter Stoicos & Peripateticos, in solis fuisse positam verbis, id quod AVGVSTINVS diserte asserit Lib. IIX. de Civit. DEI Cap. IV. & ipse CICERO Cap. IV. de Legibus, ubi argumenta Stoicorum diluens ostendit sola verborum novitate.

98
114
1246
vitate, Stoicos dissentire a Peripateticis. Consvēisse namqve Stoicos, caterorum sermoni adversari, adeoque jam neglecto illo: verba valent sicut nummi, rebus alias præter consvetas imponere significationes, ut forte plus cateris sapere viderentur, paradoxisqve suis, aliis ad disceptationem anam præberent, testis est PICCOLOM. *Grad. I. Cap. xxiii. de moribus.*

§. 21 Quanta quanta vero ista lis sit, inter graves ex Stoa Philosophos, & splendidam Peripateticorum cohortem confecit tamen eandem nervosa brevitate, *nunquam satis venerandus Patronus & Præceptor noster Excell. ROEHRENSÉE, in Posit. de Affectibus Decur: hunc in modum: Decumana illa inter Stoicos & Peripateticos de affectibus controversia, quorum illi tollere eos aggressi sunt, hi temperare, in exiguam de voce liti- culam potest resolvi.* Quod vi præmissorum (posit. 5. & 6.) Stoici aliter sentire non potuerint, quam affectus non cadere in sapientem, cum imperium rationis antevertant; Peripatetici vero non aliter potuerint, quam docere, ut ad mediocritatem reducantur, cum affectum passionem dixerint, ab excessu & defectu adhuc abstrahentem. Quam proinde decisionem accuratissimam nostram facimus, eiqve ea qua par est decencia subscribimus.

§. 22. Nihilofecius tamen non diffitemur, rectius locutos fuisse præ Stoicis Peripateticos, utpote qui novitate verborum, uti a multorum sententia, ita etiam a veritate ipsa multum haud raro recesserunt. Quid enim opus erat, cum tantum affectum, siye motum affectum dicere, qui est averfa a recta ratione commotio, quasi vero etiam eanos non afficiant, quæ nos movent, & svaviter, & cum recta ratione. Nihil nunc dicemus, de vero & purissimo amore DEI, sed amorem virtutis, & ex ea proficiscentem delectationem tantum asseremus, tam svavem apud nos & in nobis excitare titillationem, ut vix credam, eam dignis satis posse prædicari verbis elogiisque. Pari ratione non apparet, quæ necessitas coegerit, absurde statuere, omnem affectum oriri ex opinione; quasi certa & firma ratio non etiam affectum verum in nobis excitare, possit. Sint qualescunqve constantes Stoici, nunquam tamen credideremus, affectus etiam vitiosos, apud eosdem, ex vera cognitione, uti aversatione mortis, cognitione boni elegantissimi, nunquam profluxisse.

§. 23. Sufficiat hic, tantum ex hisce licere elicere: affectus quatenus mediocritatem servant, nec simpliciter eradicandos, nec malos esse, quod in sequentibus sufficienter demonstraturi sumus, quando de bonitate & malitia affectuum, eorundemqve gubernatione plura dicentur. Hic enim leges denuo nobis coronidem imponere jubent.



בשה"קכה

DISSERTATIONE TERTIA.

AFFECTVS.

placidæ Eruditorum disquisitioni
subjicient,

PRAESES.

M. SAMVEL. LVCIVS.

SORA. LVSAT.

&

RESPONDENS.

DAVID. SCHELLENBERG.

STOLBERG. MISN.

Ad d. XXX. April. A. MDCCCI.

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.

87-

